

Vulgata

Mt 12, 1-24

In illo tempore abiit Iesus sabbato per sata discipuli autem eius esurientes coeperunt vellere spicas et manducare.

² Pharisei autem videntes dixerunt ei: “Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis.”

³ At ille dixit eis: “Non legistis quid fecerit David quando esuriit et qui cum eo erant?”

⁴ Quomodo intravit in domum Dei et panes propositionis comedit quos non licebat ei edere neque his qui cum eo erant nisi solis sacerdotibus?

⁵ Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant et sine crimine sunt?

⁶ Dico autem vobis quia templo maior est hic.

⁷ Si autem sciretis quid est misericordiam volo et non sacrificium numquam condemnassetis innocentes.

⁸ Dominus est enim Filius hominis etiam sabbati.

⁹ Et cum inde transisset venit in synagogam eorum ¹⁰ et ecce homo manum habens aridam et interrogabant eum dicentes si licet sabbatis curare ut accusarent eum.

¹¹ Ipse autem dixit illis: “Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam et si ceciderit haec sabbatis in foveam nonne tenebit et levabit eam? ¹² Quanto magis melior est homo ove itaque licet sabbatis benefacere.”

¹³ Tunc ait homini: “Extende manum tuam.” et extendit et restituta est sanitati sicut altera.

¹⁴ Exeuntes autem Pharisei consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent.

¹⁵ Iesus autem sciens recessit inde et secuti sunt eum multi et curavit eos omnes.

Lk 15, 3-10

Et ait ad illos parabolam istam dicens:

⁴ “Quis ex vobis homo qui habet centum oves et si perdiderit unam ex illis nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam quae perierat donec inveniat illam?”

⁵ Et cum invenerit eam inponit in umeros suos gaudens ⁶ et veniens domum convocat amicos et vicinos dicens illis: “Congratulamini mihi quia inveni ovem meam quae perierat.”

⁷ Dico vobis quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore paenitentiam habente quam super nonaginta novem iustis qui non indigent paenitentia.

⁸ Aut quae mulier habens dragmas decem si perdiderit dragmam unam nonne accendit lucernam et evertit domum et quaerit diligenter donec inveniatur ⁹ et cum invenerit convocat amicas et vicinas dicens: “Congratulamini mihi quia inveni dragmam quam perdideram.

¹⁰ Ita dico vobis gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore paenitentiam agente.”